



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

Pavlo V. Pontifici Opt. Max.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](#)

P A V L L O V.  
P O N T I F I C I  
O P T . M A X .

B E A T I S S I M E P A T E R ,

**A** Longinquis Belgarum oris stilo & affectu Romam venio , & sacris tuis pedibus aduoluor duo allaturus, Gratulationem & Donum. Illam, cum omni Christiano orbe , qui in auspiciis noui Pontificatus exsultat, & talem sibi datum in fluctibus & procellis his rerum , voce , gestu , animo triumphat. Audierant fata duorum Pontificum , nec longo temporum inter- uallo diuisa, & dolebant : sed tui renunciatione allata, vidisses subitâ luce vultus illustres, & mutasse lacrimas in gaudia , an & gaudia in lacrimas dicam ? Certè in multis ea vis fuit, & meritò. nam secunda illa fama vir- tum tuarum iamantè sic inualuerat, vt suffragia qui- dem sacri Collegij apicem huius honoris contulerint, sed vota omnium destinarint. Rara felicitas, iudiciis di- gnitatem possidere, antequam infulis præferre: & cen- feri Pontificem, nondum esse. O magna vis virtutis! & ô occultum in animis præ sagium, qui eò vocabāt, quò Deus & merita iam ducebant ! Deus, inquam. nam

\* 3 ele-

electio tua, quid nisi palam diuina fuit? Non enim de-  
liberatione longa, nec suffragiorum morosâ trutinâ  
Pontificatus delatus est, sed impetu & verius instin-  
ctu impositus; & vna ac consentiens vox, quid vocem  
dico? neque ea exspectata est, sed procursus & adora-  
tio talem fecit. Agnosco in rebus humanis vim &  
regimen Numinis, sed præsertim in arduis; & quos  
sibi proximos constituit, clariore quâdam notâ eligit,  
tuetur, fouet. Te fecit. quem? à naturâ, à doctrinâ,  
ab usu eximum; & sanctimoniam, castitate, benignita-  
te, prudentiam, quid verba facio? ab omni virtute sic  
conspicuum, ut publica vox sit & confessio, talem  
esse debere qui à populis adoretur. Ergo iure gratu-  
lamur, & nos etiam Belgæ propriâ quâdam caussâ. Ec-  
ce iactamur, ac pænè mergimur, fluctibus armorum  
simul & errorum: spes nobis est, & preces porrigi-  
mus, ô adiuua. ytere auctoritate tuâ & Principum, ac  
funesta hæc arma ponи iube, quæ inualescunt in exi-  
tium Europæ. Cuius exiguus quidem, sed potens &  
magni in omnes partes momenti, angulus sumus: &  
vt hic facies rerum erit, vereor & prædico (da veniam)  
in plerâque finitima Europâ erit. Non vocamus ad  
seuera, sed ad mitia consilia: Pacem, Pacem ingemi-  
namus, & suaue illud nomen, quod non nisi belluæ  
adsperrnantur. Gratulationem igitur vides, BEATISSIME PATER, sed donum etiam nunc meum offre-  
ro & reuelo. En, ANNÆVM SENECAM, laudatissimum inter omnes veteres scriptorem, & virtutis stu-  
dio pænè Christianum (ita nostri censuerunt) emen-  
datum

datum variè & illustratum damus , & deponimus ad  
facros tuos pedes. Libens R O M A M venit, quid mi-  
rum est? in vetus suum domicilium & sedem. Ad  
P A V L L V M : quídni faciat? ad olim etiam familiarem  
& amicum. Nam Apostolorum ille alter quòd hunc  
complexus sit, & ipse illum; et si è scriptis huius parùm  
liquidò constat , tamen consensu suadent credere pri-  
sci illi nostri & sancti Patres. Suscipe igitur ô summe  
Antistes, & Virtutis atq; Honesti vnicum præconem,  
tu qui illa habes & colis , amplectere , & bono generis  
humani ( audacter dicam ) famam & lucem illi cir-  
cumda. Tui hoc arbitrij est. qui attollere & deprime-  
re potes ; quem Europa, Asia, Africa, quem America  
& ipse nouus orbis suspiciunt , & ab oraculo tuo solli-  
citi omnes pendent. Nos certè, B E A T I S S I M E P A-  
T E R . & affectu iam, quod dixi, congeniculamus ; feli-  
ces, si præsentibus id liceret! Louanij, v. Kalend.Iu-  
lias, ̄. 1005.